INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXX

USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXXI

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. JOSEPHI BENDER** COMMENTATIO:
DE JURE ET RATIONE DOMINATIONIS PONTIFICUM ROMANORUM IN TERRAM GENTEMQUE VETERUM PRUTENORUM.

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).
1890.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D$^{\text{R.}}$ WILHELMUS KILLING,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De jure et ratione dominationis Pontificum Romanorum in terram gentemque veterum Prutenorum.

Duplex erat ratio, qua Pontifex Maximus Prussiam inde ab eo tempore attingebat, quo primum Pruteni ad doctrinam christianam sensim transducebantur, quo Germani omnem vitam civilem Prutenorum bello subjectorum ad suam normam disponere incipiebant.

Prima versabatur in munere divinitus ei dato, quo uti vicarius dei in orbe terrarum omniumque hominum communis pater, Prutenorum quoque miseriae ut consuleret prospiceretque, obligatus esse putabatur. Altera ratio, in hac quaestione multo gravior, posita erat in imperio, quod Papa ut supremus dominus in terris Prussicis re vera tenebat.

Nostris temporibus facile quis quaerat, quo jure Papa sibi tale quid vindicare potuerit. Sed praeter legem scriptam, praeter vim externam, praeter potentiam armis partam aliud exstat fundamentum juris multo sublimius quod in mentibus hominium infixum est, quod cogitatione eorum efficitur. Jus igitur Pontificis Romani opinione nitebatur, quae tunc temporis animos omnium toto orbe terrarum exercebat; nitebatur in vi et natura, quae ecclesiae Christianae et, qui eam regebat, Pontifici maximo inesse unanimi consensu credebatur. Ea opinio tunc temporis auctoritatem juris publici inter gentes habebat.

Haec persuasio et de Pontificum potestate universa et de dominatu terrarum gentilitati obnoxiarum et potissimum de summo Prussiae imperio clare accurateque literis ipsorum aequalium umque pronuntiata atque probata est.

Ad quodvis horum dominationis generum illustrandum pauca tantum ejusmodi enunciata proferre sufficiet. Quid maximi inter Papas de imperio mundi, quid Nicolaus I., quid magnus Gregorius Papa Septimus, magnus item Alexander III. magnus quoque Innocentius III. cogitaverint et pronuntiaverint, notissimum est. Ita Gregorius scribit: „quod solus Romanus Pontifex iure dicatur universalis" . . . „Duo sunt, alia inquit epistola, duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: autoritas sacra pontificum et regalis potestas", quam quidem sententiam Innoc. III. ita enuntiat: „Fecit deus duo magna luminaria in firmamento coeli: luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, i. e. duas dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas." — Similes sententiae facili opera quam plurimae e scriptis aliorum quoque Paparum colligi possunt,[1]) quae pro fundamento juris publici ubique habebantur, quamdiu auctoritas sedis Apostolicae valebat.

Ex hac praecipua doctrina alia etiam persuasio profecta est, qua proximum imperium illarum regionum, quae nondum sub ditione alicujus principis Christiani essent, Pontifici Romano deberi constabat, simulatque inter terras Christianas reciperentur. Id quod jam prius enunciatis singulorum Paparum, uti Gregorii VII., Alexandri III. affirmatum erat, re ipsa potissimum illi magni viri: Innocentius III., Honorius III., Gregorius IX. comprobaverunt, qui uti patres omnium Christianorum populorum gentes in ecclesiam recens introeuntes paterno amore receperunt. Gentes Christo acquisitae ex tunc Papae erant, qui Christi vices gerit, successoris Beati Petri. Is in suam tutelam gentes suscepit, libertatem utramque, et animi et corporis, iis restiturus, resque earum publicas ordinaturus atque dispositurus. Haec potestas pontificia, quam tunc temporis a nullo detrectatam esse cognoscimus, a magnis illis Papis, quos nominavimus, dominis ut plenum jus in Prutenos exercebatur. Permultis diplomatis apertissime enuntiatum est, Prussiae incolas, simulatque in ecclesiam christianum recepti essent, tamquam filios patris communis, Papae, factos esse, cui soli vices Christi gerenti subditi, praeterquam liberi ab omni servitutis genere forent. — Ex hac sententia proficiscendum est, si recte de jure illo sentire volumus, quo usum Papam in Prussia uti in suo dominio omnia ordinantem atque disponentem videmus. Rem quam attigimus, ut uno saltem exemplo utamur, quam maxime significant verba, quae Gregorius Papa Nonus anno 1233 paterno amore incensus ad ipsos Prutenos neophytos scripsit.[2]) „Universis, inquit, Prutenis ad agnitionem veritatis feliciter pervenire. Proximis et remotis evangelizavit pacem dominus Jesus Christus, ut pacificatis omnibus per sanguinem crucis ejus salvos faceret peccatores. Cuius licet immeriti vices gerentes in terris, aculeis quasi doloris inexplicabilis perpungemur, quod quidam adhuc infidelitatis obtenebrati caligine nec sui creatoris inaestimabilem bonitatem recogitant, nec agnoscunt ineffabilem gratiam redemptoris. Ceterum si contingat operante divina clementia, aliquos ad orthodoxam fidem converti, exultant angeli, et nos ad gratiarum actiones illi, qui neminem vult perire, humiliter assurgentes, de ipsorum salute solliciti modos libenter exequerimus, quibus possit eis commodius et melius provideri." Et porro: „duo vestrum vel plures vice omnium ad apostolicam sedem accedant . . . ut . . . cum gratia fidei vestra plenius procuretur utilitas et data vobis pace plenaria cum augmento bonorum temporalium vos tamquam dilectissimos in filiorum gratiam adoptatos sincere caritatis brachiis amplexemur."

---

1) Colligantur prae ceteris ex diversis epistolarum locis, quae in Harduini Concil. Tom. VI. p. 1193—1516 editae sunt.

2) Philippi et Wölky N. 95 p. 71. — Diplomata Prussiam spectantia, quibus utemur, citabimus ex novissima editione Philippi et Wölky (Preuss. Urkundenbuch Band I, 1, die Bildung des Ordensstaates. Herausgegeben von Archivrat Philippi und Dr. Wölky. Königsberg 1882).

Jam Innocentius Papa III jure suo statuendi pro arbitrio de Prutenis utebatur, nemine adversante aut improbante. Ad opus conversionis Prutenorum sub maximo hoc Papa susceptum praedicatores non nisi de licentia ejus accesserunt, quod epistola eius anno 1210, 4. Sept. data testatur, qua etiam curam officii pastoralis ad tempus archiepiscopo Gnesnensi defert, donec adeo ibidem numerus fidelium augeatur, ut proprium possint episcopum obtinere.[3]) Quo minus jus Papae in Prussiam addubitatur, eo clariore luce capita quaedam antiquioris historiae Prussicae apparent, quorum unum a scriptoribus ventilatum est. Etenim Christianum, primum Prussiae episcopum, affirmant verum unumque fuisse Prussiae dominum, uti diplomatis Pontificum ei concessum esset. Quae res mirum quantum idcirco offendit, quod sedes apostolica, quasi fraudulentis ordinis Teutonici artibus irretita et capta, Christiani jure neglecto non ita multo post ex arbitrio aliter de Prussia decreverit. Sed falsa ea est opinio, quam ii scriptores[4]) tuentur, qui perversa fontium interpretatione seducti Christianum episcopum supremum dominum terrarum Prussicarum fuisse asserunt, fere eodem modo, quo principatus ecclesiastici sacri imperii Romani, Archiepiscopis vel Episcopis quondam regnantibus, sui juris et potestatis fuissent. Attamen diplomatis cum aequalium tum suis ipsius pro certissimo probari potest, dominum Prussiae habitum esse Pontificem Romanum, Christianum autem non nisi ut vicarium Papae ejusdemque auctoritate ac nomine terras Prussiae administrasse vel potius procurasse. Neque Christianum dominium aliquod sibi usurpare animo intendisse apparet, qui ne primum quidem praedicationis evangelicae munus sine licentia sedis apostolicae susceperit. Tantum aberat, ut pius ille Christi domini nuntius dominationem concupisceret, ut ipse et socii ejus omnibus rebus humanis renuntiatis solo amore dei hominumque impellerentur. Id quod Innocentius anno 1210 (4. Dec.) epistola modo citata praeclare testatur hisce verbis: „In hac siquidem laborare vinea dilecti filii Christianus, Philippus et quidam alii monachi pro desiderio cupientes illius dudum amore succensi, qui neminem vult perire, ad partes Prussiae de nostra licentia accesserunt.“ Et anno ejusdem seculi duodecimo (1212, 10. Aug.) simili modo Christianum et socios praedicat, qui „advertentes, eos appellari beatos, qui seminant super aquas, et eos, qui frumentum abscondunt in propriis, maledici, eundo et flendo mitterent semina verbi dei.“[5]) Nec minus Honorius III. anno 1218, 6. Maji praedicat Christianum et socios „zelo fidei Christianae succensos evangelizantes in partibus Prussiae.“[6]) Hic idem Pontifex anno 1225 3. Jan. rationem, quae inter sedem apostolicam et Prussiam intercedebat, accurate hisce verbis epistola ad ipsos Prutenos data pronuntiat: „Cum igitur vocati sitis in libertatem filiorum dei ex aqua et spiritu sancto renati, et ubi spiritus dei est, debeat esse libertas . . . personas vestras . . . sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut in libertate vestra manentes nulli alii sitis, quam soli Christo, cuius efficimini acquisitionis populus, et obedientiae ecclesiae Romanae subjecti.“[7]) — Prima igitur ab initio lex, ex qua omnis vita publica et civilis inter Prutenos pendebat, ita constituta erat, ut nulli alii dominationi subjecti essent, quam sedi apostolicae, ut ipsi vero plena personarum uterentur libertate. — Ne Christianum quidem episcopum ipsum aliter de loco, quem in rebus Prutenorum administrandis ut papae vices gereus, non

---

3) Philippi et Wölky N. 5, p. 4 pro „Cura officii pastoralis“ i. e. officio legationis, aliis diplomatis dicitur: pastoralis officii debitum p. 5.; pastoralis officii regimen p. 1 u. 2.

4) Prae primis J. M. Watterich, libro: Die Gründung des Deutschen Ordensstaates in Preussen. Leipz. 1857.

5) Philippi et Wölky N. 6. p. 5.

6) L. c. N. 22 p. 16.

7) L. c. N. 54 p. 40.

suo jure utens obtineret, sensisse scriptis suis declarat. „Terrae Prussiae, inquit diplomate anno 1231 dato (ante 21. Martii), terrae Prussiae, quae ad nos ex jure et gratia sedis apostolicae spectare videntur.“[8]) Itaque etiam, quum ei munus aliquod mandabatur, id pontifices sua vice, sua auctoritate fieri per apostolica scripta jubebant, ut plura Honorii III. diplomata testantur.

Quum quod tanto studio totque laboribus expetebatur, ea via, qua eousque in Prussia processum erat, effici non posse videretur, quumque tantae Christiani episcopi contentiones occidisse putarentur: sedi apostolicae placuit, aliam rationem ad Prussiam placandam constituendasque et res ecclesiasticas et civiles ineundam esse. Quod quum ita efficeretur, ut administratio terrarum Prussiae Ordini Teutonico traderetur, in magno versaremur errore, si id acerbissima in Christianum injuria factum esse opinaremur. Quo jure Pontifex Romanus initio Christianum episcopum auctoritate rerum in Prussia gerendarum instruxerat, eodem ipso jure haud dubie ei si videretur, licuit, hoc idem negotium illi demere et ad ordinem Teutonicum deferre. Re ipsa etiam constat, Christianum tunc ita se gessisse, ut prorsus cum Papae consiliis consensisse videatur. Contulit enim ipse quidquid dominationis in Prussia et adjacente territorio Culmensi habebat, diplomatis anno 1230/31 datis, ad Ordinem Teutonicum.[9]) Quod autem de juribus sibi reservandis expressis verbis statuit, spectat id tantummodo ad jura episcopi ecclesiastica, atque ad bona quaedam eorumque fructus, ut haberet, unde ipse suaque ecclesia sustentaretur, dominationem autem aliquam civilem terrarum Prussiae haudquaquam sibi vindicans.

Quod autem negari non potest, Ordinem Teutonicum potestate sibi delata ita abusum fuisse, ut episcopum quaque injuria afficeret; quod porro posthac paullatim ipsius Pontificis auctoritatem ita neglexit, ut re vera tandem principatus sui juris inde exoriretur: ea tamen omnia sententiam nec refellunt neque infringunt, a qua profecti sumus, nimirum Pontificem Romanum tunc temporis de iure dominum terrarum Prussiae omnium persuasione esse judicatum, quarum administrationem non solum ecclesiasticam, verumtamen etiam civilem, cui et quamdiu placuisset, deferre potuisse.

Sed quid sibi voluit haec Papae dominatio in Prutenos? Nonne inanis eius species fuisse videtur, quae nec ipsi, nec Prussiae magno potuerit esse usui? Non ita recte de hac re judicaremus. Non nomine tantummodo, sed re vera et cum effectu Pontifex Romanus, quamquam longis spatiis in Urbe a Prussia remotus, dominationem rerum Prussicarum tenebat. Quam dominationem quibus praesidiis Papa exercuerit, jam demonstrandum erit.

Bullae pontificiae, quae plurimae de Prussia dabantur, pro lege et certa norma habebantur, ad quam omnia dirigebantur. — Assidui atque impigri adjutores Papae consiliorumque effectores erant legati sedis apostolicae in Prussia vicinisque terris constituti atque fratres ordinis St. Dominici sub ipso Honorio III. instituti, cuius summa industria tunc flore quodammodo aetatis latissime patebat.

In bullarum Pontificum exordiis quae praemittuntur caussae mandatorum testantur eae summum studium paternumque amorem, quo Papae veram Prutenorum salutem respiciebant.

Legatis praeceptum erat, ut ea quae Papae mandaverant, observarent atque perficerent. Quorum quanta in rebus Prussicis et ecclesiasticis et civilibus regendis fuerit industria, longum est

---

[8]) L. c. N. 83 p. 64 cf. N. 73 p. 53; N. 82 p. 63.

[9]) Videantur plures literae de his rebus a. 1230 et 1231 actis l. c. inde a p. 53—63; imprimis N. 73 p. 53 et N. 82 p. 63.

multis probare. Pauca tantum de munere legatorum Prussiae proferemus. Archiepiscopo Gnesnensi [Henrico, 1199—1219] primo legationis officium ab apostolica sede commissum fuerat, a quo illum gravi morbo affectum Honorius III. anno[10]) 1219 absolvit, postquam eo ab anno[11]) 1210 functus fuit. Pro eo jam anno ejusdem seculi duodevicesimo Honorius III. Christiano Prussiae episcopo ea officia mandaverat, quae legatorum erant, licet literae eum hoc nomine non insigniunt.[12])

Quae ei praecepta erant, Christianus vice Papae executus est, ut diplomata ipsa declarant. Postea, quum Christianus a Sambiensibus captus custodia tenebatur, Wilhelmus, episcopus quondam Mutinensis, legatus in Prussia enotescit.[13]) Anno 1234 Gregorius IX. per scripta apostolica[14]) ei praecepit, quomodo in Prussia ageret; imprimis ei cordi essent Ordo Teutonicus ejusque possessiones, qui pro defensione fidelium laborem multiplicem pertulisset. Hisce literis Pontifex expressis verbis eam effert sententiam, quae est in hoc genere praecipua, nimirum „partem Prussiae Christiano nomini subjugatam et subjugandam in jus et proprietatem Beati Petri esse susceptam; se eam Ordini Teutonico cum omni jure et proventibus suis concessisse in perpetuum libere possidendam.“ Ab illo tempore Wilhelmus egregiam in rebus Prussicis ordinandis adhibuit diligentiam. A Wilhelmo tandem rationes Ordinem inter et episcopum vel episcopos Prussiae constitutae sunt, terraque ipsa inter utrosque divisa est, et episcopatus erecti.[15]) Post eum anno 1245 primum vice eius frater Henricus de ordine praedicatorum, eodemque anno Opizo, abbas Monasterii de Mezano, legatus factus est, quem jam anno 1247 excepit Jacobus Leodiensis archidiaconus,[16]) quo auctore anno 1249 pax inter magistrum fratresque Ordinis Teutonici et neophytos Prussiae composita est, cuius diploma gravissimum existit tamquam fundamentum rei publicae Prussicae. Hoc diplomate[17]) confirmatur, quod Innocentio Papa Tertio, Honorio et Gregorio Romanis Pontificibus, praedecessoribus sanctissimi patris Innocentii Papae quarti, neophytis esset concessum, ut, quum vocati essent in libertatem filiorum dei de aqua et spiritu sancto renati, in libertate sua manentes nulli alii essent, quam soli Christo et obedientiae ecclesiae Romanae subjecti. Eodem diplomate etiam accuratius pronuntiatum est, quae juris ratio cum inter sedem apostolicam et Ordinem Teutonicum, tum inter Ordinem Teutonicum et Prutenos neophytos intercederet. Continet enim hanc sententiam: „Quum iidem magister et fratres unam faciant ecclesiam et conventum, et totam terram, quam habent in Prussia, a Romana ecclesia teneant“ et quae sequuntur. Et paullo infra: „Iidem fratres saepedictis neophytis concesserunt libertatem omnimodam personalem, quamdiu fidem catholicam

---

10) V. literae 11. Maj. 1219 datae, l. c. N. 30. p. 21.

11) V. literae 4. Sept. 1210 datae l. c. N. 5 p. 4.

12) V. lit. 5. Maj. 1218 dat. l. c. N. 17. p. 13. N. 18 ibid.

13) De Christiani captivitate primum testimonium continent literae Gregorii IX. de 7. Oct. 1233. l. c. N. 100 p. 74. In libertatem ille restitutus est ante 23. Mart. 1240 l. c. N. 133 p. 100: Wilhelmi legati missionem jam literae Honorii III. de 31. Decb. 1224 annuntiant l. c. N. 53 p. 39, sed ante a. 1234 res Prussicae ab eo actae non traduntur. A Balduino episc. Semigalliensi (legato anno 28. Jan. 1232 nominato) officium legationis ad Wilhelmum per lit. 9. Febr. 1234 l. c. translatum est.

14) Vid. hae literae 9. Sept. 1234 datae in Voigt, Cod. dipl. Pruss. I. p. 41 Simillimae literae eodem ipso die ad Conradum ducem Poloniae datae v. apud Philippi et Wölky l. c. N. 110 p. 85.

15) Lit. Wilhelmi 29. Juli 1243 datae, l. c. N. 143. p 108; etiam in Wölky cod. Warm. I, 5.

16) Vid. literae anno 1245 1. Febr. 6. Febr. 7. Oct. datae l. c. N. 164, 165, 166, 170 p. 123, 124, 125. De Opizone lit. papales eodem anno datae, inde ab 10. Oct. usque ad 14. Oct. l. c. N. 171 et 174. Legatus Jacobus jam 19 Nov. 1247 a Papa annuntiatur, l. c. N. 196 et seqq. inde a pagina 139.

17) Diploma 7. Febr. 1249 editum apud Philippi et Wölky l. c. N. 218 p. 158 et apud Wölky Cod. Dipl. Warm. I p. 28. N. 19.

observabunt et in subjectione et obedientia Romanae ecclesiae permanebunt, et contra ipsos magistrum et fratres et domum ipsorum fideliter se habebunt." — Revera igitur jus feudale conformatum erat, quod papam, uti summum feudi dominum, cum Ordine Teutonico, uti vasallo, et Ordinem Teutonicum, uti dominum, cum Prutenis, uti vasallis, ad unum rei publicae genus colligabat.

Quocum jure pontificio in terris Prussiae quum potestas etiam imperatoria jam antea concurrere coepisset, hoc genus rei publicae difficilius evaserat. Fridericus etenim Imperator II., qui dominium mundi sibi vindicans jam diplomate anno 1228, mense Martio dato[18]) de „vetere et debito jure imperii in Prussia" loquitur, „quod terra ipsa sub monarchia imperii esset contenta", summum ordinis magistrum, Hermannum de Salza, cui admodum favebat, principem imperii fecisse traditur. „Unde factum est", Dusburgius[19]) refert, qui unus de hac re auctor est, „unde factum est", quod ipse dominus Papa et imperator . . fratri Hermanno et successoribus . . dignitatem principis contulerunt, et in signum hujus principatus dominus papa annulum ei obtulit et imperator insignia regalia imperii deferenda in suo vexillo indulsit." Sed de investitura per imperatorem facta prorsus nihil legitur, quum pontificia exstent diplomata, quibus magistros ordinis a Papis investitos esse comprobatur. Ita Innocentius IV. anno 1243, 1. Octob. ad magistrum Gerhardum scribit: „Te, dilecte magister, annulo nostro de terra investientes eadem."[20])

Jacobi igitur Leodiensis, qui postea ipse pontifex maximus factus Urbani IV. nomine inclaruit, legationis tempore certior rei publicae Prussiae forma effecta observatur, quam antea cognosci potuit.

Qui post Jacobum in Prussia fuere legati, a nobis praetermittuntur, quoniam paullo posteriora tempora attingunt, quae a nostro proposito aliena sunt.

In hoc genere superest, ut de fratribus ordinis Praedicatorum quoqur pauca proferamus, quibus adjutoribus, postquam Cisterciensium industria cum Christiani episcopi sublata est, Papa munus in Prussia evangelizandi gravissimum imposuit. Mirum est, quantum hi fratres de Prutenis meruerint. Labor eorum difficillimus jam anno 1231 conspicitur, quum Gregorius Papa Nonus iis, „quatenus sanctae praedicationss officium suscepissent", mandat, ut in regionibus Germaniae septentrionatibus „diligenter et efficaciter moneant et inducant" ad signum crucis contra Prutenos accipiendum.[21]) Ejusmodi mandata saepius repetita sunt. Inde ab anno ejusdem seculi tricesimo tertio in Prussia ipsa constituti, verbum dei praedicabant atque gradatim cum exercitibus crucesignatorum progredientes, sua quasi stativa posuerunt in illis monasteriis, quae sub praesidio arcium Thorunensis, Culmensis, Elbingensis fundabantur, in finibus sita regionum, in quibus cruce armati animos indigenarum occupaturi erant, virtute militibus aequantes, qui ferro terram expugnaturi erunt. — Gregorius P. IX. in epistola ad Prutenos a. 1231, 9. Juli. data[22]) eos vocat „inconfusibiles domini operarios et

---

18) Vid. Philippi et Wölky l. c. N. 56 p. 41; ex Dregeri cod. dipl. Pom. jam 1857 a Watterich editum (die Gründung des Ordensstaates p. 235). In initio diplomatis verba Friderici leguntur: „Ad hoc deus imperium nostrum pre regibus orbis terre sublime constituit et per diversa mundi climata dicionis nostrae terminos ampliavit, ut" . . . reliq. — De rationibus Ordinis et ad Papam et ad Imperatorem ea conferantur, quae in libro: „Ermlands politische und nationale Stellung innerhalb Preussens" a 1872 inde a pag. 9. scripsimus.

19) Scriptor. Rer. Pruss. I. p. 32.

20) Philippi et Wölky l. c. N. 147 p. 113.

21) Vid. lit. a 1231, 18. Juli. datae l. c. N. 85 p. 65.

22) L. c. N. 84 p. 64.

cooperarios vestre salutis", idemque anno 1233, 6. Octob.[23]) eos appellat „vicarios nostre sollicitudinis." Frater Hermanus praeceptor domus Teutonicae, dictus Balko, anno 1238 in privilegio, quo claustrum Elbingense fundat,[24]) ordinem Praedicatorum nominat „ordinem venerandum, qui dicitur Praedicatorum et esse dignoscitur ab effectu". Quanto honore papae eum ordinem habuerint, quam merita ejus egregia judicarint, vel inde maxime apparet, quod auctoritate sedis apostolicae primi dioecesium Prussicarum episcopi constituti sunt fratres ordinis Praedicatorum.

Quae ita Pontifices tam provida cura tamque considerata arte in Prussia instituerant, ea iterum ac saepius ab Ordine ipso Teutonico turbari coepta sunt, qui etiam non acquievit, donec fratribus praedicatoribus summotis suique ordinis sacerdotibus intrusis, quantum fieri potuit, potestate etiam ecclesiastica in plurimis partibus episcopalibus Prussiae potitus esset. Quamvis ita paullatim dominatio pontificum, quae firmissimis stabilita videretur fundamentis, deminueretur sensim atque infringeretur, tamen quam singulariter Papae meriti fuerint de Prutenis ad humanitatem et omnem vitae cultum evehendis, eo clarius elucebit, quo accuratius, quam antea perversi atque depravati Prutenorum mores gentilium fuerint et quo gravi servitutis onere premerentur, cognoverimus; quam rem denique restat ut exponamus.

Pontificum Romanorum studio et opera factum est, ut tandem nova mentis Prutenorum quoque oculis lux divinae claritatis infulgeret, tunc, ubi ad Prutenos etiam, ut apostoli verbis utar, venit plenitudo temporis, quum, ut Marius Victorinus plenitudinem temporis interpretatur, „peccatis usque ad summa surgentibus medicina necessario quaerebatur." Revera tunc gentilium Prutenorum mores[25]) ad extremam pravitatem delapsi esse videbantur, quae pestis ipsam conjunctionem familiae, quae est arctissima et sanctissima, eo usque vitiaverat, ut in familia quoque foedissima servitus valeret.

Pontifices Romani hanc perniciei molem superari debere acutissime videntes, omnem operam laboremque in eo posuerunt, ut imprimis servitute sublata gens ad humanitatem atque cultum efferretur. Quod quidem est praecipuum Paparum meritum neque satis praedicandum. Sed audiamus ipsa aequalium et posteriorum testimonia de morum apud Prutenos conditione. Honorius Papa III. bulla a. 1218, 15. Junii[26]) data, qua de feritate Prutenorum querens remedia mali meditatur: „In Prussiae partibus, inquit, populus est a fide prorsus exorbitans et plus quam bestiali deditus feritati, qui, ut ea faciant, quae non conveniunt, inter alia multa, que de ipsorum immanitate feruntur, quodcumque feminini sexus mater pariat, perimunt preter unam, tamquam domino velint in propagatione humani generis obviare, passim et sine verecundia plures eorum prostituunt filias et uxores ac captivos immolant diis suis intingentes gladios et lanceas, ut prosperam fortunam habeant, in sanguinem predictorum." Paullo infra addit: „Episcopus Prussiae[27]) ac socii eius statuerunt necandas comparare puellas, ut educantes easdem lucri facere possint Christo ac ibi scholas Prutenorum insti-

---

23) L. c. N. 98 p. 73.

24) Lit. 13. Jan. 1238 datae in Wölky cod. dipl. Warm. I. N. 1. p. 1.

25) Fusius morum conditionem apud veteres Prutenos eorumque de rebus divinis opiniones exposuimus commentatione inscripta: „Zur altpreuss. Mythologie und Sittengeschichte" a. 1867 edita in: „Altpreussische Monatsschrift" Bd. II. Heft 7; Bd. IV. Heft 1 u. 2 (v. imprimis Heft 7 p. 568 seqq.), et „dissertatione historica critica de veterum Prutenorum diis" edita Brunsb. 1865.

26) V. Philippi et Wölky l. c. N. 29 p. 20.

27) De Christiani episcopatu ejusque conditione, fatis et institutis accuratius a. 1863 disputavimus in: „Zeitschrift für die Geschichte und Alterthumskunde Ermlands Bd. II., inde a. p. 211. Ad instituta Christiani pertinebant etiam scholae inter Prutenos instituendae. Conf. literae eodem die (15. Juni) a Papa ad universos Christifideles datae l. c. N. 13 p. 17. Locis citatis ergo jam de seminario dioecesano Prutenico providebatur.

tuere puerorum, qui, ut gens illa convertatur ad fidem, addiscant efficacius quam advene predicare ac evangelizare dominum Jhesum Christum." Repetuntur aliis aliorum Pontificum bullis querimoniae de hac barbara natione, de ejus feritate, spiritu dementiae, fraudibus aliisque vitiis. Diplomate pacis[28]) anno 1249 compositae conditio indigenarum depingitur immanissima. „Promiserunt, ibi legitur, quod duas uxores similiter vel plures de cetero non habebunt. Sed una sola contenti cum ipsa contrahet unusquique. . . . . Promiserunt etiam, quod nullus eorum de cetero filiam suam vendet alicui matrimonio copulandam, et quod nullus uxorem filio suo emet vel sibi; nam ex hoc talis inter ipsos consuetudo, sicut intelleximus, inolevit, qualis nec inter gentes, ut videlicet uxorem patris sui aliquis habeat. Cum enim aliquam uxorem de pecunia communi sibi et filio emerat sibi pater, hactenus servaverunt, ut mortuo pratre uxor eius devolveretur ad filium, sicut alia hereditas bonis communibus comparata. Et ne aliquis hac de causa novercam suam possit sibi vendicare ulterius in uxorem, uxores nec vendere nec emere promiserunt." Dusburgius (l. III. c. 5), ut etiam ad chronicorum scriptores recurramus, postquam de hospitalitate Prutenorum et, quae cum ea conjuncta fuit, ebrietate retulit, ita pergit: „Secundum antiquam consuetudinem hoc habent Prutheni adhuc in usu, quod uxores suas emunt pro certa summa pecuniae. Unde servat eam sicut ancillam nec cum ea comedit in mensa et singulis diebus domesticorum et hospitum lavat pedes" . . . . „Si homicidium committitur inter eos, nulla potest compositio intervenire, nisi prius ille homicida vel propinquus eius ab occisi parentibus occidatur." Sed quid alia etiam testimonia[29]) de foeda illa morum corruptione?

Quum vitae familiaris conditione mores cuiusque populi maxime sint metiendi, quantum discrimen ob oculos versatur inter veteres Germanos et veteres Prutenos! Quam sancta apud illos vita conjugalis, quam barbarae apud hos consuetudines loco legitimi conjugii! Ecclesia Christiana, quae est mater humanitatis et libertatis ideoque dominatrix mundi, Prutenos ab interitu revocavit, quod quo majus difficiliusque fuerat opus, eo magis studium atque opera Pontificum praedicanda sunt.

Nihil etenim vehementius Pontifices Maximi efflagitabant, quam ut servitus inter Prutenos tolleretur. Cui rei testimonio sunt ipsorum mandata Innocentius P. III. jam anno 1212, 13. Aug.[30]) duces Poloniae et Pomeraniae libertatem Prutenorum neophytorum imminuentes hisce verbis increpat: „Quidam vestrum, sicut accepimus, minime attendentes et querentes que sua sunt, non que Christi, quamcito intelligunt aliquos e gentilibus per Prussiam constitutis nove regenerationis gratiam suscepisse, statim oneribus eos servilibus aggravant et venientes ad Christiane fidei libertatem deterioris conditionis efficiunt, quam essent, dum sub jugo servitutis pristinae permanserunt." Anno 1219, 12. Maji Honorius III. versus Prussiam signo crucis accepto proficiscentes monet et hortatur, „ut non quae sua sunt, sed Jesu Christi quaerentes ad convertendum ad deum, non ad subjugandum suae servituti paganos attendant, ne, quod absit illi timentes subjici servituti, in sui erroris pertinacia fortius obstinentur."[31]) Et anno 1220, 8. Maji idem Pontifex fideles noviter baptizatos Prussiae ita alloquitur: „Nos autem vos tamquam filios benedictos a domino gerentes in visceribus caritatis vobis in omnibus, quibus possumus, libentissime assistemus, omne vobis solatium et auxilium impensuri et, quum in libertatem vocati estis adepti gratiam filiorum, vos in omni conservabimus libertate

---

[28]) Jam supra citato ex Wölky Cod. Warm. N. 19 p. 28 et Philippi et Wölky Cod. pruss. N. 218 p. 161.

[29]) Mittimus ea, quae Simon Grunovius de hoc genere ex (fictis) constitutionibus Prutenicis („Brutenischen satzungen") profert, quae partim ex diplomate pacis a. 1249 et Erasmo Stella (I. p. 292) hausta esse videntur. V. Sim. Grunau's Preussische Chronik. Herausgegeben von M. Perlbach I. p. 64.

[30]) V. Philippi et Wölky l. c. N. 7. p. 6.

[31]) Lit. apud Philippi et Wölky l. c. N. 31. p. 22.

aliisque dignis favoribus prosequemur, quia non commodum rerum temporalium, quod cito periret, sed lucrum, quod erit perpetuum, in vobis quaerimus animarum."[32])

Erat autem Ordo Teutonicus ipse, contra quem Pontifices libertatem Prutenorum etiam atque etiam commendare et defendere cogebantur. Gregorius Papa IX. anno 1237, 8. Maji ad legatum suum Wilhelmum ita scribit:[33]) „Licet pagani . . . nullo ante baptismum jugo servitutis aliquatenus premerentur, fratres tamen Hospitalis Sanctae Mariae Teutonicorum et nonnulli alii tam religiosi quam seculares, clerici et laici, non attendentes, quod christifideles effecti jam non sunt ancillae filii, sed liberae, utpote quos renatos ex aqua et spiritu sancto ipse unigenitus dei filius liberavit a jugo peccati, quos vetusta servitus detinebat, eos sub servitute redigere moliuntur, nec permittunt ipsos possidere libere bona sua." Poenam Papa Ordini Teutonico addit censuram ecclesiasticam et damnum privilegiorum et indulgentiarum anno 1240, 10. Aprilis. Christianus episcopus tandem e captivitate liberatus coram sede apostolica severus et gravis contra Ordinem Teutonicum exstitit accusator. „Prutenos, inter alia profert[34]), Prutenos catechumenos, qui ad gratiam baptismi pervenire cupierunt, fratres hospitalis sanctae Mariae insigniri christiani charactere nominis non permittunt, illud in suae temeritatis subsidium allegantes, quod fortiores quam deo credentium esse possent domini paganorum." Etiam diploma illud pacis (1249), quod jam aliquoties laudavimus, testatur: fratres Ordinis Teutonici ipsos neophytos interim duris servitutibus opprimebant, quod vicini pagani eorum gravamina audientes tollere supra se suave jugum domini formidabant.

Ita Pontifices Romani, qui semper et ubique custodes ac tutores exstitere populorum oppressorum, gentes Prussiae suo praesidio suoque patrocinio tegebant.

Potestatem igitur Pontificum Romanorum in Prutenos ex opinione auctoritatis profectam, quam penes sedem apostolicam esse tunc temporis ab omnibus comprobabatur, liberalissimo rerum gerendarum genere stabilitam statim ab initio nihil nisi veram Prutenorum utilitatem et salutem appetivisse apparet. Cujus potestatis salutaris atque felix efficacitas et vis tandem ab eo ipso ordine debilitata et fracta est, qui dominationem suam favori et gratiae Paparum debebat.

---

32) Ibid. p. 231. Philippi et Wölky l. c. N. 37. p. 25.
33) Voigt Cod. D. Pr. I. p. 47. 48.
34) Philippi et Wölky l. c. N. 134. p. 101. Watterich l. c. 255.

Corrigenda:

Pag. 5 lin. ultima: pro gereus leg. gerens.
Pag. 7 lin. 21 pro quod Innocentio l. quod ab Innocentio.
Pag. 8 lin. 23 pro quoqur l. quoque.
lin. 27 pro praedicationss l. praedicationis.
lin. 28 pro trionatibus l. trionalibus.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Vaticinia Jesajae prophetae interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
II. Evangelium Johanneum explicabit ter per hebd. hora VIII.
III. Antiquitates Hebraeorum dabit horis definiendis.
IV. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

I. De creatione mundi et hominis, de protoparentum statu innocentiae, de eorum lapsu atque de peccato originali, tandem de angelis disputabit quater vel quinquies per hebd. hora X.
II. Repetitiones dogmaticas instituet examinandi et disputandi causa semel p. h. hora X.
III. Elementa linguae Hebraicae docebit bis terve per hebd. horis designandis.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

I. Historiam primaevae ecclesiae tradet quinquies per hebd. hora IX.
II. Historiam ecclesiasticam novissimi temporis enarrabit semel per hebd. hora IX.
III. De arte ecclesiastica eiusque historia disseret semel per hebd. hora designanda.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Theologiae moralis partem specialem, quae est de virtutibus moralibus maximeque socialibus tractabit quinquies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de selectis ethicae christianae capitibus instituet semel per hebd. hora definienda.
III. Pauca de patrologia praefatus vitas et opera patrum apostolicorum explicabit hora designanda.

Dr. Antonius Kranich.

I. Apologetices reliquam partem tradet bis p. hebd. horis deff.
II. Encyclopaediam s. Theologiae docebit hor. def.
III. Cantica liturgica et deinde selectos hymnos ecclesiasticos semel vel bis p. h. interpretabitur hora IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam generis humani primaevam resque populorum orientalium tradet ter per hebdomadem hora XI.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. h. XI.
III. Fata linguae theodiscae exponet ejusque cognationis cum aliis linguis rationem explicabit semel vel bis per hebd. h. XI.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. De arte antiqua disseret quater hebdomade h. IX.
II. Inscriptiones christianas interpretabitur bis hebdomade h. IX.
III. Exercitationes philologas instituet h. def.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disserere perget bis per hebdomadem h. VIII.
II. Astronomiam popularem docebit ter hebdomade h. VIII.
III. Historiam mathematicae enarrabit semel hebd. hor. VIII.
IV. Calculum differentialem et integralem explicabit horis deff.

Dr. Jos. Krause, P. P. O.

I. Psychologiam tradet bis per hebd. hora X.
II. Metaphysicen docebit ter per hebd. hora X.
III. De arte catechetica disseret horis deff.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II–III.
II. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing.**
III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**

03824